



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

De Vita & miraculis Sancti Virgilio Apostoli Karinthiae Episcopi  
Salisburgensis & de Karinthiae ad fidem Christi conversione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)



DE  
Vita & miraculis  
SANCTI VIRGILII  
APOSTOLI KARINTHIÆ EPI-  
scopi Salisburgensis

& de  
*Karintia ad fidem Christi  
conversione.*

AUCTORE  
S. Eberhardi Episcopi Salisburgensis  
discipulo.



K k

AD

I.



D præsentem beatissimi patris nostri VIRGILII memoriam, superna beatorum spirituum curia, & cœlestis mater nostra congratuletur Ecclesia, quæ dum tantæ prolis fœlici fœliciter assumptione dominatur, multorum multo fœlicius, per eam filiorum quotidie acquisitione multiplicatur. Exultet & supernæ civitatis filia, in huius adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ patronum iam sibi videt in cœlis, quem pastorem habebat in terris, quem sicut in via ducem, sociumque laboris acceperat, sic per eius suffragia participes ipsius consolationis in patria fieri non desperat; præcipua vero ac singulari lætitia ad tanti viri præconia, nostra specialiter concurrat SALZBURGENSIS Ecclesia, quam ab idolatriæ nuper purgatam erroribus, primus ipse in KARINTHIA verbo prædicationis excoluit, sanctitatis exemplo fecundavit, & miraculorum insignibus mirabiliter adornavit. Ecce summi patris agricola, sicut oliua in domo domini fructifera, quod seminavit in lachrymis, in gaudio recepit, qui quot spirituales domino filios, verbo salutis peperit, quasi tot animarum manipulos veniens in Resurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis dominicæ pecuniæ dispensator & prudens, in gaudium domini sui intromissus fœliciter exultat, quia suscepta verbi mensura familiam domini fœliciter aluit, & sapienter instruxit, qui collatum sibi divitiarum gratiæ talentum in aliorum ædificatione multiplicatum domino restituit, ad cuius vitam temporalem inuestigandam miracula, quæ per eum dominus operatur, nos diligentius hortantur.

Psalm. 51.  
Psalm. 125.

Luc. 12.

BEA

**B**EATISSIMVS igitur VIRGILIUS in HIBERNIA insula de nobili ortus profapia, literarum studiis ita animum applicauit, vt inter doctos sui temporis atq; climatis doctissimus haberi potuisset. Morum etiam honestate nihilominus clarescere studuit, & tamen non virtute relicta inuidiam quorumlibet placando dictum illud exoptabile in se digne meruisset transferri, Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est, cuius nomen exquiretur à generatione in generationē. Vt itaque dominus misericordiam suam à progenie in progeniem ostenderet, seruum suum VIRGILIUM strenuum vtique dominicæ vineæ plantatorem, & futurum KARTHINÆ Apostolum de natali solo HYBERNIÆ ad FRANCIAM misit. Vbi ab illustri Francorum rege PIPINO qui maior domus dicebatur, apud KARISIACVM honestè exceptus fuit. Et quia literarum scientia cum morum honestate in ipso exuberavit, rex cum sicut tubam Euangelicæ prædicationis libenter audiendo, secum ferè duobus annis propter Dei amorem retinuit. Temporibus verò OTTILONIS ducis BAVARIORVM, qui tunc cum tota NORICA prouincia subiectus fuit prædicto regi Francorum, SALZBURGENSIS Ecclesia, quæ ab anti quo vocabulo à iuuando dicta fuit IUVAVIA, proprio carebat Episcopo. sed rex Pipinus princeps per omnia Christianissimus, ad incrementum Ecclesiæ non modico suspirans desiderio, Episcopatum Salzburgensem pro debito rege magnificentia, sancto concessit Virgilio, eumque prænominato duci NORICORVM vt pote amico carissimo transmisit, summo cū honore excipiendum. Vir itaq; domini dissimulata ordinatione fermè duorum annorum spaciis, habuit secū laboris & coronæ participem Episcopū comitantem de patria nomine DOBDA ad persoluendum

2. Cor. 6.

Episcopale officium. Postea ad instantiam populi, nec non assidua coepiscoporum suorum exhortatione inductus, ab ipsis vnctionem Episcopalem suscipere consensit, ordinatusq; est à prouincialibus Præsulibus anno natiuitatis domini septingentesimo, sexagesimo septimo. xvii. Kal. Iulij. Deinde prout commissæ dispensationis auctoritas exigebat, quod ore dieq; & noctu docuit, operis exhibitione implere non cessauit, in vigiliis, in ieiuniis, & in caritate demum non ficta. *Eas* etiam quæ ad exterioris pertinebant utilitatem prouisionis, tanto sollicitius studuit promouere; quanto status Salzburgensis Ecclesiæ, tunc ni per initiatus, & exiguis, postea deo cooperante, vt liquido apparet religione & possessionibus famosissimus id expostulare videbatur. Quippe fabricam, monasteria immenso opere, & egregia dispositione à fundamento construxit, corpusq; sancti RVDBERTI, quod post obitum suum, in Ecclesia sancti Petri principis Apostolorum requieuit, vna cum sede Episcopali, quæ in prætaxata Ecclesia, similiter per aliquot annos extiterat, diuina communitus inspiratione, transtulit in eum videlicet locum, in quo vsq; ad præsentia tempora perdurauit.

Temporibus verò gloriosi regis francorum DAGOBERTI, SAMO nomine quidam SCLAVVS manens in QUARANTANIS, fuit dux gentis illius. Qui venientes negociatores DAGOBERTI regis iussit interficere, & regia extoluit pecunia. Quod dum comperit rex DAGOBERTVS, missis exercitu suo, damnum quod ei SAMO contumaciter intulerat, iusta præcepit ultione puniri, & sic demum regis seruitio subacti sunt.

Non multo tempore cœperunt HVNI eosdem QUARANTANOS hostili seditione grauitè affligere, fuitq; dux  
tunc

tunc eorum BORVTH nomine, qui HVNORVM exercitum contra eos interim BAVARIS nunciare fecit, rogans eos sibi in auxilium venire. At illi cum magna festinatione venientes expugnauerunt HVNOS, & obfirmaverunt QVARRANTANOS, seruitutiq; eos regum subiecerunt, similiter & confines eorum. Duxeruntq; inde obsides secum in BAVARIAM, inter quos erat filius BORVTH nomine \* KARASTVS, quem Pater eius more Christiano nutrire & baptizari postulavit, quod ita factum est. Similiter de \* CHETVNARO filio fratris sui fieri rogavit, Mortuo autem CORVTH iussu francorum Bauari KARASTVM Christianū factum, petentibus eisdem SCLAVIS remisit, & illi eum ducem fecerūt, sed postea ille tertio anno defunctus est. Iterum autem permissione domini PIPINI regis, populis idem petentibus CHETIMARVS Christianus ducatum suscepit \* Suggestente verò quodam presbytero nomine MAIORANO, qui à sancto VIRGILIO, in IUVANO monasterio manus impositionem acceperat, quem secum propter doctrinam Christianæ religionis detinuit, ad IUVAVENSE monasterium specialiter caput suum in seruitium Dei dechnavit, singulis annis quodam vixit in signum subiectionis suæ aliquod obsequium illuc pertoluendo. Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus dux KARANTENORVM petit, sanctum VIRGILIVM Episcopum visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod etiam ille implere minime valuit, sed sua vice missio suo Episcopo nomine MODESTO, addocendam illam plebem, & cum eo VVATONE M, REGINBERTVM, GOZARIVM atque LATINVM presbyteros suos, & EKIHARDVM diaconum cum aliis clericis, dans ei licentiam consecrare Ecclesias, ordinare iuxta

K k 3

cano-

\* al. cacatus,  
sic & postea  
semper.  
\* Al. Chetuma  
ro, vt & postea.

\* Al. add. Cui  
etiam Lupo  
presbyter,  
ordinatus Iu-  
nauensis sedi,  
dedit nepotem  
suum nomine  
Maioranum  
presbyterum  
iam oratorū.  
Et quia com-  
pater eius erat  
idem Lupo  
presbyter, do-  
cuit eum, vrad  
Iuuauense mo-  
nasterium ad  
Christianitatis  
officium sub-  
deret. Quem  
suscipientes  
idem populi  
Ducatum illi  
dederunt. Ille  
vero secum ha-  
bens Maiora-  
num presbyte-  
rum in Iuuauē-  
si monasterio

Ordinatum  
presbyterum,  
qui admonuit  
ipsum ad illud  
monasterium  
suum caput  
declinare in  
seruitium Dei,  
ille ita fecit ac  
promisit se ad  
ipsum federa  
seruiturū, sicut  
& fecit atque  
annis singulis  
ibidem suum  
seruiturū per-  
soluebat, & in-  
de semper do-  
ctrinam & of-  
ficium Chri-  
stianitatis  
percepit vsque  
dum vixit.

Infr Heim-  
mon.

canonum diffinitionem, nihilque sibi vsurpare, quod de-  
cretis sanctorum Patrum contraireret. Qui venientes KA-  
RANTANIS, dedicauerunt ibi Ecclesiam sanctæ MARIÆ  
virginis gloriosæ, & aliam in LIBURNIA ciuitate sua A-  
DVNDRIAS ciuitate & in alijs quàm plurimis locis, ibiq;  
MODESTVS Episcopus, permanfit, vsque ad finem vitæ  
sua. Eo igitur defuncto Episcopo, postulauit iterum  
CHETMAR Dux Virgilium Episcopum, si fieri potuisset,  
ad se veniret; quod ille renuit, orta seditione quod CA-  
RINVLA dicimus, sed inuito consilio dimisit ibidem Latinū  
presbyterum.

Et non multo post orta alia seditione, exiuit inde  
ipse Latinus presbyter. Ea vero sedata, misit iterum Vir-  
gilius Episcopus MADELHONVM presbyterum & post  
eum VVARGIAMVM presbyterum. Mortuo autem  
KETMARO, & orta tertia seditione, aliquot annis nullus  
presbyter ibi erat, vsque dum VVAITVNE dux eorum mi-  
sit iterum ad Virgilium Episcopum, & intentè postulauit, vt  
ad confortandam infide prædictam terrā aliquos destina-  
ret presbyteros, petitioni igitur memorati ducis incremē-  
to & sanctæ Ecclesiæ consulens, misit \* HERMONEM  
& REGINBALDVM presbyteros, atque Maioranum  
diaconum, cum alijs Clericis viris vbique religiosis & ho-  
nestæ conuersationis. Et non multo post misit ibidem  
iterum eūdem HEIMONEM & Duplitem ac Maiora-  
num presbyteros, aliosque Clericos cum eis. Iterum mi-  
sit eis GOZARIVM, MAIORANVM, ERKENBERTVM &  
Augustinum presbyteros, post eos Rembaldum, Reinc-  
harium presbyteros. Item Remboldum, Gimcharium.

IV.

**H**IS ita gestis, ad extirpandam funditus & eliminan-  
dam, si qua in re visa est barbaricæ superstitionis  
idola.

idolatriam, atq; ad confortandum penitus in fidē, frequē-  
ti prædicatorum diligentia plantatam suæ diocesis Eccle-  
siam prouidens, ac prouida circumspecti pastoris vigi-  
lantia, per villas & prouincias verbum vitæ vbertim se-  
minando, diu desiderabiliter optatam ouibus suæ propriæ  
visitationis præsentiam exhibuit. O quanta principum  
cuiuscunque religionis obuiam illi cum pompa præceden-  
tium exultatio, quam laudabilis spiritalium virorum vicif-  
sim stipatim, immo certatim Dominum & patrem suum  
inuitantium deuotio, quorum profecto petitionibus vir  
ille sanctitatis & gratiæ plenus, omnibus omnia factus, vt  
omnes lucrifaceret, Zelo pietatis obediēs Ecclesias cōse-  
cravit & per *KARINTIAM* sensim transeūdo ad fines Hu-  
norū vbi Trabus inluit Danubiū, quo etiam postea tem-  
pore *ARNONIS* primi Archiepiscopi territorij Saltzburg.  
termini chonicis ascentantibus extendebantur saluberrimæ  
visitationis vsus officio pertransijt, palmitesque coele-  
stis vineæ propagandō Clericis ad sacros ordines promo-  
uendis, vt singulos arbitrabatur dignos benedictionis suæ  
manum imposuit. Inæstimabilis igitur sanctitatis & me-  
riti, beatus Dei præsul Virgilius feliciter ac strenue sui  
laboris cursu consummato, post emerlas pelagi mundani  
tempestates, ad metam huius peregrinationis, & ad por-  
tum salutis Iesum Christum declinans, dissolutionem sui  
iuxta necessitatem conditionis humanæ, imminentem  
diuinitus sibi reuelatam longe ante præsciuit, quam Eu-  
angelicæ Dominus vineæ sub persona spatrii familias ex  
conuentione diurni denarii corona immortalitatis remun-  
neraturus, pro temporalibus æterna, pro tertenis felici  
commercio tribuens cœlestia, de carnis ergastulo liberā-  
dus, huiusmodi vocibus creditur inuitasse; Virgili seruus  
meus es tu, quia in te cōplacuit animæ meæ, ingrediere iam  
in



in l. e. & l. s. h. Quæ vero misericordia & ineffabilis diuinæ dispensationis effulget prouidentia, quæ dum sanctum suum IUVAVENSI Cathedralæ præficiendum, olim ab ultimis occidentalis HESPERIÆ partibus aduexerat, ibidem pariter depositionis ei mausoleum de medijs PANNONIÆ finibus reuertenti præparabat. Rediens itaque celerius & memoratam illam ciuitatem suam intuitus, amarissime fundendo lacrymas, hunc visus est decantare versiculum, hæc requies mea, &c. Celebrato deniq; diuini Sacramenti mysterio, leni morbo correptus, anno Dominicæ incarnationis D cclxxx, 4. Kalend. Decemb. obdormiuit in Domino, cuius corpus in latere meridiano monasterij, cuius ipse xij. annis fabricator, & in tertio decimo consecrator extitit, prout tantum decuit pontificem, honorifice fuit repositum, sacer autem spiritus eius, ciuium consortio gaudet supernorum.

## V.

*De inuentione  
S. Virgilit  
miraculis  
uita ipsius.*

**A** NNO vero Dominicæ incarnationis M. Clxxxj. xiiij. indictione, xiiij. Kalen. Martij, sub ALEXANDRO Papa III. Apostolatus ipsius xxj. & ultimo, regnante serenissimo principe FRIDERICO Romanorum Imperatore Augusto, anno regni eius 33. & conregnante sibi filio eius Heinrico Romanorum rege gloriosissimo. OTTO de Wittelinspach / in clyo Duce Bauariæ Ducatum tenente, supra memorati fabrica monasterij, quæ schismatis persecutione conflagrante ante aliquos annos diruta & diruenda deperierat, sumptibus & iussu pastoris Chunradi præclarissimi SALTZBURGENSIS tunc Archiepiscopi, Apostolicæ sedis tunc in Allemannia legati, Cardinalis presbyteri sancti Marcelli Sabinensis Episcopi, modo autem Moguntinensis Archipræsulis, dum à fundamentis cœpere ædificari, sancti Spiritus cooperante gratia,

*Chunradus  
Archiepiscopus  
Salsburgensis.*

tia, & diuinæ maiestatis suffragante clementia, corpus beati VIRGILII quidem ob immensi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, cōtigit reuelari. Quadam die factum est, vt lapides è muro elapsi aliquantulum intro spectandi, aditum transeuntibus præbuisent; diligentius aliquibus licet ipsum considerantibus concavitatis patuerunt indicia & picturæ vetustioris deaurata illic visa sunt stemmata. Porro Canonicis huius rei nouiter perquirentibus, & latius eiusdem muri aperturas patefaciētib; inuenta beati VIRGLII octauī post sanctum RVDBERTVM Saltzburgenſis Episcopi, tumba & depicta imago, eiusdemque imaginis huiusmodi Epigramma:

*Virgilius templum construxit scemate pulchro.*

Et præterea dies obitus eius, 5. Kalend. Decembris. Idem vero dignus Deo pontifex, vt in annalibus nostris reperimus maioris Ecclesiæ, & in qua & sepultus fuit, primus extitit fundator; & beati Rudberti ac sedis Episcopatus in ipsam Ecclesiam, qua nūc est pius translator. Tempus etiam, quo dictus pontifex obierat, anno incarnati Domini D cclxxx. in eisdem annalibus inuenimus.

Ad tantæ igitur rei spectaculum plurimīs nouarum rerum cupidis, vt fieri solet, confluentibus, nō pauci à doloribus diuersis sunt alleuati. Cunctis autem qui accurrerant viri Dei reliquias venerantibus, iuuenis quidam diaconus & Ecclesiæ eiusdem Canonicus inter cæteros dictum locū patefaciet, ille vana curiositate magis quàm piā deuotione accedens, præsumptuose effossa humo manū sinistram venerandis ossibus iniecit, omnibus eum redarguentibus & prohibentibus, & inprosperum hoc ipsum, sicut rei probauit euentus, successurum non fore asserentibus.

Verum ille hæc omnia corde obstinato parvipendens, nihil de sanctarum violatione reliquiarum, quæ tot annis intactæ, ac decæti veneratione absconſæ latuerant, curabat. Interea fama inuentionis sancti Præſulis crebreſcente, mulier de ciuitate SALTZBURG. cum in partu multis diebus laborans perichitaretur, per reuelationem nocturnam admonita, candulam ad mensuram sui corporis super ſamuli Dei ſepulchrum tranſmiſit, candelaq; incenſa, ſtatim puerum enixa conualuit. Quædam autem ipſius mulieris conuicanea cum irremediabili, & diuturno viſcerum dolore torqueretur, fidem eius ſecuta, eodem modo candulam tranſmiſit, & ſubito curata eſt.

Tertio quoque miraculo mulier quæ manuum contractione detinebatur, ad ſepulchrum viri Dei deferens, in itinere ſanata eſt. Poſt hæc infans cæcus quinque ab ortu habens hebdomadas à parentibus illius delatus, viſum recepit. Item mulier quædam à lippidine oculorum curata eſt ibi.

Sane diaconus ille quem præmiſimus horum miraculorum incredulus, oblationes fidelium, quæ iam pia deuotione à plurimis illuc deferrebantur rapere, & uſibus ſuis attrahere non timuit, nec ea temeritate contentus, mulierem ulam ibidem orantem, ipſe ſanctas reliquias ſubſannans irreuerenter præſumpſit repellere. Iuſte igitur diuina ultione ſtatim correptus à Dæmone, oculis terribilibus ore hianti circumquaque diſcurrens ſacrarium introiuit, primamque vexationis ſuæ & veſaniæ notam in quodam præſbytero Eccleſiæ theſaurario, quem tunc forte ſolum illic repererat oſtentans, ipſum præſbyterum pugnis alapis cæſum, vnguibus quoque diutiſſimè laniauit.

Superueniente autem vno ex manſionarijs Eccleſiæ cū præſby-

presbyter præfatus è manibus arrepticij sublatuſ, interiuſ ſacrarij cubiculum, oſtio poſt ſe clauiſo confuſiſſet, ipſe arrepticuſ Dæmone plenuſ ad ſui ipſiuſ internitionem cœpit armari, & cum iam aliuſ non videret, in quem furorem ſuum effunderet, veſtibus omnibus exutuſ, utpote nullum vulneribus habens obſtaculum, raſorium corripuit, plurimiſque icibus valido conatu pectus cœpit tranſfodere, preſbytero & manſionario prædicto intuentibus, & præ pauore nimio, accedere aut inhibere eum non audentibus. Verum cum pectus & manuſ vulneribus multis cruentaret, nec tamen uſquequaſ; Deuſ ipſum ad maiorem & euidentioſem famuli ſui VIRGILII oſtentationem reſeruauit præcordia perforaſſet, collapſuſ ad terram toto conatu collum & guttur incidere temptabat.

Tunc itaque preſbyter & manſionariuſ, qui priuſ ab eo refugerant, collapſum & in terra volutantem videntem, audaciter erumpentem ſuper ipſum irruerunt, ferrumque de manu eiſ eripiunt. Iam vero plurimi clamore excitati, ad ipſum iuuenem concurrere cœperunt; ſed ipſe elapſuſ in tenebris, quia erat crepuſculuſ curſu velociffimo, turrim conſcendit, & negotio perambulante in tenebris, eum \* ad alia neciſ ſuæ conuertitur argumenta, funemque \* fort. inſti. ganſ. companæ laquei vice collo circumdans, de fenestra turriſ exiit.

Duo autem ex pueriſ è veſtigio ipſum inſecuti, ubi turrim aſcendebant, pendentem eum & palpitantem inuenerunt, reſtractumque Dei gratia iuuenem à laqueo abſoluunt, & inter manuſ trahenteſ ad inferiora deducunt. Porro cum ad viciniã ſepulchri beati Virgilij eſſet adductuſ, inter ſemetipſum frendens cœpit obniti, & retroſum labi & corruere, manuſque, oculiſ ne ſanctum videret ſepulchruſ, admouere. Reportatũ igitur ad ſacrariũ, concurrunt

Clerus vniuersus, psalmi, exorcismi, Letaniæ sine intermissione dicuntur. Cum in ipsis litanæ precibus nomen sancti VIRGILII inculcaretur, malignus ille inhabitator, qui vas illud possederat, auditu nomen nõ sustinens sancti nominis, frendens, & dentibus horribiliter stridens, rugitum teterrimum emittebat, iuuenemq; miserrimum crudeliter discerpebat. Euidenter itaq; cunctis qui aderant, quod ob illatam sanctis ossibus iniuriam ita vexaretur, concipientibus ad tumulum præfati caput & membra terribiliter quatens, spumamq; eiectans refertur, sonantibusq; campanis plebs totius ciuitatis conuenit. Admotus autem sepulchro, ipsum sepulchrum conspuebat, dæmonq; iam aperte incendium quo à sancto VIRGILIO pateretur proclamans, ac manum sepulchri violatricem temptans, & gestiens dentibus corrodere, nisi ipsa manus abscinderetur, se non exire testabatur. Tum verò tantus ab utroq; sexu clamor exortus est, vt vox continuata cum lachrymis, non posse finiri videretur. Effertur deinde ab Ecclesia, & in lecto reponitur; Vbi dæmon à sacerdotibus per tremendum iudicium, & his similia adiuratus, cur vas Dei in suam rede gisset potestatem, in hæc verba prorupit: Ego non sponte, sed coactus veni, candelas & alias oblationes à viri Dei sepulchro ego abstuli, & nisi quantum cæ restituantur, magister meus cum septem nequioribus intrabit spiritibus, & in perpetuū hic manebit. Cum verò candelæ diu quæsitæ rursus ad dæmonis indicium inuentæ essent & allatæ, addidit idem dæmon corpus miserabile scopis munde purificatis candelarum cædendum, ipsiq; iuueni, post redditam sanitatem, diebus xx. ieiunandum. Poterat autem in afflicto iuueni, in quo regnabat & dominabatur iniquitas videri misera, & vnde non præsentis sed & absentes non paruum potuissent percipere

cipere errorem. Scopis enim allatis, candelis etiam relatis, & incensis, in Ecclesia iuuenis præmemoratus ad sepulchrum beati præfulis totius multitudinis precibus & lacrymis, comitatus refertur. Vbi dum scopis sicut ostensum fuit, diutius cæderetur, astantesq; vniuersi auxilium & misericordiam beatæ Dei genitricis *MARIÆ*, nec non & sanctorum *NICOLAI*, *RVDBERTI*, *VIRGILII* præcipue suspiriis intimis exposcerent, spiritus ille nequam cum strepitu & sibilo non modico aufugit, multis circumstantium discessum eius & impetum sentientibus. Liberatus ille à dæmonio & refectus sacramento viuifico, ad lectum semiuiuus reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indicis manuum & scriptis intentionem animi exposuit, quod lingua non potuit; quia taciturnitas hæc sicut postmodum patuit, incredulitatis pœna fuit. Admonitus verò à reuerendis sacerdotibus, vt fidem circa se gestis adhiberet, & sanctum *VIRGILIUM* miraculis clarescere crederet, manu & scripto renuit, & quamdiu renuit, vsum loquendi non recepit. Tandem cum mutus & animo & corpore deficiens in proximo moriturus crederetur, rursumque dominico sacramento communicasset, & sacerdos subintulisset, Sic credis *Virgilium* Dei famulum, aperiat os tuum, qui aperuit os *Zachariæ* Prophetæ, subito gutture & lingua resoluta, Credo, exclamauit, statimque vsum loquendi, cum sanitate pristina recepit. Cum autem eo modo sanatus respirasset, monasteria etiam & Ecclesias singulas, gratias Deo & sanctis agens circuisset, quia fex eius nondum fuerat exinanita, ad pristinum reuertus est reatum, sanctique illius meritis sine intermissione in vicina sepulchri, & in conspectu populi exprobrans iterato meruit castigari, quia castigatus noluit emendari. Interrogatus enim circa se gestorum meminisset,

set, contumeliose subiunxit se sepulchrum sancti pontificis, si non ab interrogatione quiescerent prophanaturum, & omnimodis euersurum, hac in hora quasi percussus ad terram decidit, & ab assistentibus eleuatus aliquantulum conualuit. Nec contentus eo cum vnus ex canonicis infirmus, ad sepulchrum ipsa nocte fuisset delatus, ipse iuuenis cum reliquis canonicis pro infirmi salute illo oraturus occurrit, virum temerarie & cum subfannatione vt infirmum sanaret orauit. Alioquin se non crediturum aliquos meritis ipsius sancti liberari. Sed & his similia adiiciens non orando sed subfannando, opem allato infirmo flagitabat. Confestim igitur tumulto supereminens tectum cum fragore maximo ita introiit, vt lapidibus grandinis concussus esse videretur. Iuuenis etiam ille, qui a daemone liberatus, & pro sua quoque frequenter praesumptione castigatus, adhuc in sua pertinacia permanebat, iam denuo percussus coram omni plebis multitudine prostratus, incendio se conflagrare & mori proclamabat. Deportatus itaque ab Ecclesia, tam diu intollerabili dolore est detentus, donec se in sanctum Dei peccasse confitens ad plenum credidit, & ad plenum liberatus est. Curatus autem demum ea quae prius celauerat vexationis scilicet suae ordinem exposuit, quod nimirum tempore illo, quo sicut praedictum est, mulierem a sepulchro sancti repulit, spiritus ille immandus cum vento vehementi in specie vesperilionis os eius introiit. Deinde cum tempus curationis eius adesset, beatum NICOLAUM quem ipse specialiter venerabatur, & praeterea sanctum VIRGILIUM aduenisse, velumque nigerrimum & longissimum, & nigerrimum utrosque ab ore eius protaxisse, sanctumque Nicolaum subintulisse: In fratrem nostrum grauiter peccati, veruntamen pro tua apud dominum intercessimus sanitate.

Istis

Istis admirandis & plura admiranda sunt addita, quod mulier de LVFEN cæca & clauda ad sepulchrum viri Dei, & visum recepit & gressum.

Item mulier de ciuitate SALZBURG. neruis crurium longo tempore contractis, gressum retinere non valens, noctu diuinitus admonita, ad tumbam sancti Præsulis venit, & curata est.

Alius quidam de ipsa ciuitate dorsum habens inclinatum & omnino sursum non valens respicere, manus etiam & pedes habens debiles, hoc quoque tormento annis XII. detentus, ad sepulchrum iam dictum repente sanatus est.

Item alius ciuis LVFFENSIS ex quadam neruorum dissolutione carens gressu, ad tumulum reptans manibus deuenit, & aliquandiu viri Dei auxilium implorans, planctis consolidatis sanus effectus est.

Item homo quidam de Pemningen eodem morbo laborans ad sepulchrum prætextatum effectus est incolumis.

Mulier quædam de villa Gretsch manibus & pedibus contracta, ad tumulum eundem, cum magno omnium gaudio & admiratione sana recessit.

Dux præterea mulieres conuenerunt, vna de ciuitate SALZBURG. altera de Auens villa, ambæ oculorum lumine priuatæ, prior quidem annis XX. subsequens autem tribus, & ad sepulchrum cum magna deuotione accedentes, visum repente utræq; receperunt. *al. Auenæ*

Alio item tempore mulier PONGDONENSIS tribus annis contracta, & plurims infirmitatibus detenta, ad iam dictum locum magno labore deducta, sanata est. Ipso tem-



tempore quidam infans de HALLE pedibus contractus erectus est. Item homo quidam Saltzburgenſis natus persona, pluribus annis cæcus, ibidem illuminatus est, quatuor deinde mulieres cæcæ, ſingulæ plurimis aſtantium notiffimæ, viſum ibi receperunt, quarum vna de ciuitate Saltzburgenſi, reliquæ de viculis adiacentibus aduenerat, de VISCHAHE & GLAES & ALBEN, inter quas quæ de Alben aduenerat xx. annis cæca fuerat. Subſequenti igitur tempore duæ mulieres, vna cæca, altera dorſum ad genua habens inclinata, curatæ ſunt. Ipſo tempore puella cruribus contracta, & mulier ſurda & muta, ſanatae ſunt. Dehinc alia mulier cæca, viſum ibi recepit.

Nec reticendum putamus, quæ Deus in remotis partibus per merita ſancti VIRGILII, eodem tempore operari dignatus eſt. Hic enim ex veracium teſtimonio audiuiſimus virorum; frater quidam apud Rottenhaſlach amplius annis xl. in habitu monachico religioſiſſimè cõuerſatus eſt, hyrenofus & circa inteſtina ruptus, multo fuerat tempore, eaque paſſione vires ſuas excedente, humano auxilio deſtitutus defecerat; cùm interim fama ſignorum beati Præſulis Virgilij, ad aures ipſius venit cœpitque Dominum intimis deuotiſſimè ſuſpirijs deprecari, vt per merita famuli ſui Virgilij priſtinæ ſanitati mereretur reſtitui. Hæc eo orante, inteſtina cœperunt ad ſuperiora ad locum antiquum paulatim relabi, vt triduo vix expleto totus factus eſt incolumis, modum ſuæ curationis omnibus aduenientibus prædicaret.

Alio item tempore paralyticæ duæ ad tumulum ſancti viri delatæ, mulier ſcilicet, ætatis prouectæ de Sechirch/ & puella duodennis de Walwes ſanitatem priſtinam receperunt. Quidam de pago Rymgaro cæcus ad ipſum  
tumu-

leg. Hernioſus:

tumulum veniens, deuotissimè viro sancto se commenda-  
 dasset, domum rediens in media itineris sui via visum  
 recepit. Quædam etiam puella de MATSER curuam à  
 natiuitate habens manum, ibidem in præsentia Cleri &  
 totius multitudinis curata est. Item puella de **Perndoff**  
 manum habens aridam & curuam sanata est. Item puer  
 de **Tusendorff** annos quatuor habens ab ortu, & adhuc  
 prorsus incedere non valens, à patre delatus est ad tumu-  
 lum, & pro debito naturæ & ætatis ambulare cœpit. Puer  
 quinquennis, de **Vochenburg** / mutus & cruribus con-  
 tractus à natiuitate, deportatus ad tumulum à matre, &  
 vsum recepit loquēdi & gressum. Quidam puer de **Sücht-  
 gen** mutus & paralyticum habens brachium, vt nec ori pos-  
 set applicare ad comedendum, optabilem recepit vtri-  
 usque mali curationem. Clericus quidam Diaconus de  
**Ptene** / meritis beati Virgilij derogare præsumens, dice-  
 bat, nulla Dominum pro eo vel propter eum operari mi-  
 racula; statimq; correptus à Dæmonio, tandiu castiga-  
 tus est, quousque ad sepulchrum viri Dei tractus, diuina  
 miseratione & instanti fidelium supplicatione meruit li-  
 berari.

Adolescens quidam filius **HENRICI** de **Laymtingen** /  
 idemque **Chunonis** ex sorore nepos, à natiuitate surdus,  
 ad sepulchrum beati Virgilij auditū recepit. Item infans  
 de **Tusendorff** contractus pedibus à matre sua sepulchro  
 superpositus, gressu recuperato surrexit curatus, Puer  
 quidam de **Winheringen** curuus, distantia locorum ve-  
 nire præped tus, ad tumbam beati Virgilij per itineran-  
 tes misit candelam ad menturam sui corporis factam,  
 qua allata & incensa, sospiratis ille consecutus est bene-  
 ficia.

Quidam ciuis **HALLENSIS** cambiendos ferens de-  
 M m narios.

marios, dum etiam vectus ad ciuitatem SALZBURG. tenderet, sepulchrum sancti Virgilij visitare, & pro facultate sua oblationem ponere secum tacitus proposuit. Veniens autem vel negotij occupatione aut obliuione distractus, in salutis reliquijs domum redire coepit. Dum igitur ab vrbe longius processisset, equus licet calcaribus vrgeretur, non tantum progredi recusauit, sed & restitit, quinimo ad ciuitatem regressus, hospitium vnde exierat redijt. Hospita vero domus qua nunc causa redisset interrogante, cuiusdam negotij agendi gratia se reuersum confessus est. Rursus iter arripiens, domumque tendens, non longe progressus ab vrbe, sicut antea factus retrogradus hospitium suum iterato petiit. Hospita iterum sciscitante causam sui reditus, & satis mirante finxit aliud sibi superfuisse negocium, simili reditu dispensatione diuina, in tertia vice indicauit denique rei veritatem, quo accepta via tortiens, reuocatus fuisset: quoniam iuxta propositum suum beato Virgilio votiuam hostiam offerre neglexisset, quo facto recto calle domum perrexit.

leg. per.

Item duo milites sepulchrum beati Virgilij visitaturi, clientulum quendam auditu carentem, \* terras moderatorem & aurigam ducebāt, quibus ad sancti Virgilij tumulum oblationes suas praesentantibus, & preces Domino fundentibus, ille dictus minister eorum, simul cum illis astabat; & quia non est personarum acceptor Deus, ipse praedominis audiri meruit. Auditum etiam sine mora recepit. Quidam ciuis HALLENSIS puerum habens calculosum, medico aduocato rogauit eam, vt ferro lapidem excideret, sicq; dolorē filij sui finire temptaret. Qui dum cultrum & alia instrumenta coepisset, dictus puer utpote difficultatem medicinae sustinere nō valens, ad fletus quoque patrem commouit, Miseriae igitur pueri dolentis, affectu

fectu paterno compatiens, amoto medico & infecto ad huc negotio sanctum Virgilium obnixè & humiliter cœpit inuocare, vt cuius meritis innumerabiles per Dei clementiam essent curati, suus quoque filius pristinæ redderetur sanitati. Nec mora inter ipsa precantis verba, calculus à puero elapsus, in manibus patrijs apparuit.

Quidam puer de **Rarburgh** à Dæmonio vexatus, & à matre sua ad sepulchrum beati Virgilij delatus, precibus fidelium, & maternis fletibus meruit liberari.

Seruius **RATISPONENSIS** Episcopi in die paschali communionem Dominici Corporis suscepta, eadem die videlicet Dominica tabernam præsumpsit intrare, vbi potationibus & ebrietati deditus lasciuix potatorum interfuit. Meritam pro factis pœnam recipiens, in tantam versus amentiam vt octo continuis diebus nec cibum caperet, nec mentis vesaniam deponeret. In visu deniq; noctis à beato Virgilio salubriter admonitus, modum reformandæ sanitatis edidicit, eo videlicet tenore, quatenus tumbam iam didi Præsulis humili prece visitaret, sicq; aspirante **DEI** clementia, sanitati pristinæ restitui non desperaret. Quavisione quibusdam exposita, iussu domini sui Ratisponensis Episcopi custodibus sibi deputatis, ad sepulchrum beati ductus est Pontificis. Cui super incumbens & preces quas poterat Domino effundens, simul etiam lachrymis fidelium astantium adiutus, omnimodè sospitati panem ibidem oblatum nihil hæsitans comedit, & sensus vigorem recepit.

Quædam mulier de **SELEHVBE** grauissimo dolore præuenta, tâto languore præuenta est, vt omnibus de vita ipsius desperatis, in extremo mortis articulo agonizaret; Quæ dum pro se Deum implorare, vtpote rationis & vocis beneficio destituta minimè suffecisset, astantium multitudo fidelium **DOMINI** ac saluatoris nostri pro ipsa cœpit inuocare auxilium, facta quoque commemoratione

M m \*

beati

beati Virgilij cum summa deuotione. Vnde factum est, vt in ipso momento mulier de lecto surgete, & pristina sanitate recuperata, sequenti statim die sepulchrum beati Virgilij cum laudibus & gratiarum actione visitaret.

Cum infinita Christianæ professionis turba ad tumbam viri Dei de longinquis partibus confluerent, vt à variis animæ vel corporis curarentur languoribus, quidam homo de *Wegelingen* / diues & notissimus incolis de vicinia regionis ad sepulchrum beati Virgilij tendentibus, solus ipse neglexit venire, hoc videlicet in animo retractans, quod nullis premeretur aduersis, vt pote suis rebus domesticis in summa prosperitate compositis. Hæc eo cogitante, vnicum quem habebat filium VII. annorum, vis tanta paralytis subito corripuit, vt ipsum voce & gressu priuaret. Vir ergo præfatus flebiles heu mæstos cogitur inire modos, & licet nimio dolore pro inopinato malo pene deficeret, ex ratione sibi consulens, doctorem suum plebanum aduocauit, & inter verba confessionis ei totam feriem rei gestæ veraciter expoluit, vt digna Deo satisfactione promissa, & suscepta pœnitentia, consilio plebani ad sepulchrum beati Virgilij vna cum puero iter arripuit, atque dum irent, languidus ille infirmitatis inuenit remedium. Homo quidam de *Owe* paralyticum habens filium, vouit cum ad tumbam Virgilij perducendum, & continuo in eodem loco pristinæ sanitati meruit restitui. Quidam puer de *Dobendorff* quinquennis cæcus & contractus, secus tumulum viri Dei vtriusque incommodi beneficium recepit. Quidam homo de *Erlach* curuus, inuocato nomine Virgilij in eodem loco redditus est sanitati.

His prædictis omnibus, & hoc memoratu dignum æstimamus, qualiter homo quidam grandæuus de villa sancti *HIPOLYTI* ad visitandum beati viri sepulchrum iter arripuit,

puit, & voti compos effectus, dum inter verba sacerdotis exhortationis ad populum assisteret, habitu priuationem secuto cæcitatibus oculorum tenebras amisit. Mulier quædam audiens quantas dominus virtutes operatus sit per famulum suum Virgilium, secus tumbam eius diuinum implorat auxilium, per intercessionem viri Dei in redeundo domum visus recuperavit beneficium, Item femina quædam de **AQVILEGIA** à viro suo minus cauto quacumque rei causa in cubito nõ mediocriter cultro sauciata, se&isq; neruis manum habens curuam & contractam à multis eiusdem regionis incolis comitata, beati pontificis tumulum cum debita reuerentia suppliciter accessit. sed quia tempus miserendi eius nondum aduenit, Omnipotens Deus admirationem distulit, infectoque negotio domum repedare cœpit. Iter autem cœptum peragens, dum in villa quadam secus **THAVRVM** montem pernoctaret, deuotissime nomen beati Virgilij cum fletu vberissimo inuocauit, & in eodem loco curuitate manus deposita, pristina sanitatis vigorem meruit consequi.

Puer quidam de **Linceharde** contractis cruribus officio gressus destitutus, ad miniculo parentum ad sepulchrum beati pontificis deportatus est, cui etiam superpositus in somnum salutiferæ dormitionis corruit, euigilans autem vsu gressibilitatis restituto, cum magna admiratione astantium ambulauit. Item femina de **Watsse** dorsum habens incredibili curuitate tortuosum, diuinam clementiam flagitauit, quatinus meritis beati Virgilij, cuius tumbæ accumberet, speratæ curationis inueniret remedium, statimque fidei suæ commodum sortita est effectum. Quidam puer de **Xospach** crurium contractione ambulationis carens beneficio, communi more aptissime solidatis precibus fidelium pro ipso beato

Virgilio nomen inuocantium perfectæ sospitati restitutus est.

Et quoniam omnibus se inuocantibus consuetae pietatis opem beatus Dei famulus singulis pro necessitatibus suis semper exhibuit, quiddam mirabile & satis memorabile subnectendum est, quod monachus quidam de **Rorens** **baslach** diutino languore scapulæ laborans, dum in comitatu Abbatis sui quodam tempore iter ageret, prætextata passione grauiter correptus accepta via defecit, virib<sup>9</sup> corporis destitutus. Cæterum iuxta monachicæ regulæ rigorem forte diem in quo flagella carnis monachi de more suscipiunt, adesse contigit, & cum cæteris qui tunc aderant, etiam ille morbidus coram domino Abbate proster nitur castigandus, partemq; dorfi videlicet sanio rem plagis exponens, cum bene exaratum sensisset, alteram quoq; cui pepercit, in honore sancti Virgilij flagellari suppliciter postulauit, post cuius petitionis effectum plenariæ salutis adeptus est præsidium. O prædicanda & laudanda Christi pietas, quæ tanta celebritate merita beati Virgilij longè lateq; declarauit, vt eius fama omnes eis marinas nationes impleuerit. Si ergo fidei constantia vel recuperandæ salutis gratia SAXONES atq; BOHEMI ad tumbam viti Dei de longe inuitatur, mitari non oportet. Nam mulier quædam de Degerne sicut lumme corporis exterius orbata, ita piæ deuotionis lampade cordetenus irradiata, longo itinere laboriose consummato sepulchro beati Præfulis humiliter aduoluta est, & inter ipsas supplicationis lachrymas illuminata cæcitatem deposuit. Plebanum de **Theraz** ætate graduum bonæ conuersationis virum & honorabilem paralyticæ passionis morbus incurabilis adeo depresserat, vt dextri lateris pes atque manus corporis debitum non possent

lent impendere seruitium, imo quod erat grauius lingua continuum pervigebat silentium. Consolationis igitur diuinæ fiducia roboratus, reliquias beati Virgilij visitauit, quibus decenti veneratione salutatis, pedis officium magna Dei prædicando recepit, manus quoque languorem in bona parte alleuiatum, omnibus euidenti veritate innouit.

Vir quidam de *Sonsdorf* paruulum habens filium, tanta ægritudinis mole grauatum, vt sine subleuante nequaquam loco moueri posset, audito quanta Deus omnipotens per beatum Virgilium operatur miracula, votum vouit vt ad tumbam dicti Præfulis puerum deferret. Nec mora, iter arripens inclinata iam die villam hospitandi gratia intrauit, vt paruulum præ nimia debilitate deficientem, & quasi moribundum relinquere proposuit. Eadem igitur nocte candelam staturæ pueri comparem fecit, quatenus cœptam viam constanter emensurus pro salute filij sui viuentis vel morituri ad tumbam beati Pontificis deportaret, quem manefacto discessurus omnimodo spondit, hospitati restitutum inuenit.

Sacerdos quidam cum inter sacramenta *Missæ* plebem admoneret, vt in die placito ad visitandas seruatorum Dei reliquias beati *VIRGILII* & *EBERHARDI* vnanimiter conuenirent, à voto consentientis populi quædam & honorata mulier non solum dissensit, sed etiam prorumpens senillatenus sepulchra famulorum Dei visitaturam aperte proclamauit. Huius præsumptionis contumaciam Dei patientia non statim repressit, sed postquam à liminibus exclusa est Ecclesiæ in amentiam conuersa, domum suam deducitur, vbi inuisitata & mirabili insania correpta, facie humo-



humotenus bruti animalis instar, humillima gestus & proprietates porci simillimas expressit, ut iam non humana ratione, sed pecuali sensualitate uteretur.

Omnibus autem qui aderant vehementi stupore repletis, à quibusdam altioris consilij viris, Sacerdos nomine Ioseph aduocatur, per cuius largas Psalmorum lectiones, & efficaces benedictiones, quantulamcunq; rationis partem recuperavit, ut & verba confessionis recitaret, & in sanctum Dei Virgilium se peccasse recognosceret, plenariam exinde satisfactionem Deo pollicens, tumbam memorati Præfulis visitare celebri voto proposuit, statimque Dominica communione percepta, pristinae mètis redintegrato vigore, secum omnibus suis, & præfatum sacerdotem largis refecit epulis.

Quidam puer de Ecclesia sanctæ Mariæ manum curuam habens præsentem magna frequentia hominum, ad tumulum beati Virgilij delatus, omnibus pro sanitate eius ad Dominum orantibus carne rupta & neruis crepantibus incolumitati est redditus.

*Matth. 3.* Et quomodo cesset lingua carnis magnificentiam saluatoris extollere, qui de lapidibus procreavit filios Abraham? Innouando enim signa & immutando mirabilia, Prophetam nobis & Archiatrum diuina bonitas suscitauit, cuius virtutum potentia de lapidibus filios Abraham, id est, de incredulis fideles, de peruersis compunctos reformauit. Quis autem videntium prodigia, quæ fiunt in populo, veteris fermenti vitia non exuat? quis pœnitentiæ fructus dignos per fontem lachrymarum & contritionem cordis non faciat?

Cum puero cuidam de *Hardspach* in articulis manuum contracto, intercessio beati Virgilij in ipsa monumenti sui præsentia sospitatem pristinam repensat. Cæci ergo accedite

accedite ad eum & illuminamini, & qui in gradibus paralytici iacetis, ipso confortante glutinamini. quia ne longe exempla petantur; Puerum quendam de *Wulstatt* decem annorum curuum & cæcum à natiuitate: Nec non de *CELLE* in *CYLARVM* puellam quindecim annorum paralyticam, plenarie curatos oculata fide conspeximus.

Quantus ergo nostra opinione reputandus, quam thronis & dominationibus proximus est existimandus, per cuius inuocationem fœmina quædam de *Aspach* manibus contracta & alia mulier de *Suben* in utroq; brachiorum simili morbo debilitata, cœlestis remedij senserunt efficaciam. Nunc & omne genus humanum Domini nostri Iesu Christi prædicet elementiam, de cuius munere venit, vt beatus Pontifex *VIRGILIUS* omnibus sibi deuotis assit propitius. Nam ex tumba eius oleum sanitatis cuidam puellæ manibus & pedibus contractæ largiter emanauit & eiusdem salutiferæ vnctionis gratia, quidam paruulus de pago *Rienbo* / mutus à natiuitate vocis organum recuperauit. Adolescens quidam de *Diersstein* in vicinia *FRIESA* ei manum habens aridam & inutilem, exoratam & optatam à sancto *Virgilio* suscepit valetudinem.

De ciuitate *RATISPONA* institores ad nundinas per alueum *Danubij* in loco qui dicitur *ARDAGHER* cum naue maxima mercibus onusta descendentes in periculum illud excitatione fluctuum assidua vocatum *Spilberg* inciderunt; nec mora procellarum impetuosissima vertigine inuoluti, multotiens girando aquarum violentia scopulum in medio gurgitis eminentem, à quo causa tempestatis illius procedit, vellent nolent statim passuri naufragium accesserunt; vbi demum tanta fluminis importunitas æstuantis, miseris incubuit, vt turbo voraginis proram carinæ aqua semiplenæ sorbendo puppim in sublime attol-

N n leret,

leret, omnesque vniuersaliter tam nauas quam cæteros adeò de vita desperatos redderet, vt armamenta reintegrandi, tanquam nihil penitus conferentia proijcerent, & quod solum restabat in articulo mortis constituti, Dominum redemptorem mundi pro salute animarum suarum intentissime flagitarent. Tum vero gens illa inter confusos naufragij tumultus clementissima Domini saluatoris dignatione commonita, mitissimi Confessoris & antistitis sancti Virgilij, de cuius miraculis & virtutibus plurimis ante non pauca didicerant, omnes vnanimi ore cordeque suppliciter inuocabant auxilium, quatenus ille cælestis atque supremus humani generis instaurator, qui omnium, Pontificis nomen implorantium, velox & copiosus est propiciator, per merita famuli sui, solitam & necessariam tribulatis exhibet suæ consolationis præsentiam. Ad huius supplicationis suffragium memorata nauis submersione sua mortis exitum breuiter cunctis impositura, super vndas altius eleuata sustollitur, & contra ictum fluij decurrentis veluti funibus alligata traheretur, sine detrimento rerum & hominum secreto quodam & potenti nauclero ad ripam vsque perducitur.

Miles quidam de PILSTEIN ab alio milite captiuatus filium suum bonæ indolis iuuenem obsidē pro se deposuit, qui per xx. hebdomadas, & amplius durissimis vinculis in carcere compeditus, laboriosam & miserabilem vitā exegit. Memoratus autem iuuenis videns se parentum adiutorio destitutum, in commemoratione beati Virgilij cōfessoris mitissimi cœpit dominicū subnixius implorare præsidium, de cuius miseratione confestim post expletam orationem à vinculis absolutus, sine mora dilationis urbem SALZBURG adijt, reliquias sanctorum visitaturus, & condignas Deo liberatori suo, sanctisque omnibus, præcipuas vero sancto Virgilio referens gratias. Rem gestam nobis exposuit  
vera-

veracius. Diffuso itaque rumore, hoc virtutum odore placantur, audientes ut balsamo, accurrunt fide sitientes ad domum gratiæ, & secundum multitudinem dolorum suorum consolatione percepta, refecti sunt in saturitate. Regna multa prouocant, quæ per sanctum Virgilium fiunt Ioann. 9i magnalia, & velut Bethsaidæ aquis, sic eius beneficijs sanitatis causa se immergit multitudo copiosa.

Vnde & quædam in VNGARIÆ finibus nobilis matrona, cum iam diu oculis obtenebrata non videret, duos filios suos ad sanctum direxit, ut viam complerent, quam ipsa non potuit, ut sub eorum oratione impetrarent, quod credit. At illi continuo iniunctum consummant obsequium; iter arripiunt, & itinere prosperantes I V V A V V M citius perueniunt. O quam commendabile miraculum? Quædam sexta feria cum iam opus fieret diuinum, obtulerunt filij, & eadem hora lux reddita est matri. Mirum in modum vna & eadem hora sanctus Dei præsentem suscepit hostiam, & absentem illuminauit cæcam. Huius rei nescij discedunt confestim filij. At illis in obuiam nunciatur, quod lux reddita sit matri. Hora vero inquisita & cognita, Deum laudant & benedicunt, mirabilem & gloriosum in virtute sua. Vere laude dignus in domino consistit, qui ubique præsens adfuit, ut hic filiorum susciperet munera, & ibi matrem illuminaret à cæcitate sua. Sed quid referam?

In Austria per sanctum Dei patratum fuisse multorum relatione cognoui. Quidam à iudicibus captus est patriæ, in quadriga ligatur, distenditur, & sic in ciuitatem quandam plectendus ducitur. At ille præ timore poenitens infeliciter lamentatur, ad beatum VIRGILIUM vertit suspiria, ab illo petit protegi, à cuius ope nullum credidit refutari. Vice igitur Iesu Christi latroni crucifixo miseretur & releuat, distentum soluit & liberat, fugientem ne capiatur confortat. Vere laudandus est Christi confessor, qui mortis

reum à morte saluat. Noluit enim mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Qui taliter ouili dominico hominem restaurat ne pereat. Quomodo etiam ouem suam esuriente lupo illam custodierit fidelis attédatur. In confinio quoq; nostro in villa, quæ dicitur *QVANTELE*, populus inter se beato Virgilio collectam fecit, & ille vitulum ille agnum, quilibet prout potuit attribuit. Ex quibus arietem quodam die lupo arripuit, & cōcito fugiens secum ad siluam famelicus prouexit. Vnde non modicum doluit, cuius animal fuit; hinc seipsum indignum iudicat, se simul & sua sancto displicere formidat. A filio igitur suo agnum expetiit vt reddat. At ille patris damna subfannans negat. Sed ecce mirabile cum iam crastina dies illuxit, coram oculis astantium in medio gregis lupum aries traxit. Quo relicto arripuit filium, qui sanctis oblata reprobans non condoluit patri. Patet ideo quod leuiter ab hostili manu defendat hominem, qui sic esurienti lupo illam cohabitare fecit ouem. Huic miraculo concordat illa propheta quæ dicit: *Habitabit lupo cum agno & c.* Item quidam homo de sancto *HIPPOLYTO* per duos annos & fere dimidium cæcitate percussus, cum iam audisset quæ fiebant per sanctum, lumen petiturus accessit, sed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat non obtinuit. Vnde non modice dolens, pœnitentia ductus mēte cœpit compungi, pœnam quam patitur suis commissis imputat, & confestim Deo & sacerdoti seipsum deuotus accusat. Pœnitentem itaque infixit, pœnam indicens emeritam. At ille altius seipsum iudicans ab esu carnium annilem petit abstinentiam, vt *operatior* effectus meritis sancti salutem mereretur *consequatam*. Humanam verò fragilitatem confessor considerans vix rogatus concessit. At ille libens suscepit, inchoauit & feliciter consummauit. Euoluto ferme anno cæcus petit *LVAVVM*, sed ecce in via veniens

*Mai. 11.*

ens sancto præstante Virgilio lumen recepit optatum.

Quidam miles de villa quæ dicitur **Diengen** / cum esset cæcus, audita fama viri Dei spe simul & fide, præuētus sanctum petijt Virgilium, quo dum iter arripuit, ecce via veniens oprabile lumen recepit. Cum itaq; sancti Virgilij longe lateq; fama diffusa crebresceret, ex diuersis nationibus confluerunt languidi, & ex eius consolatione finem dabant mœrori. Inter quos vnus de **Erpbesfort** accessit, vtraq; contractus tibia, sed ab ipso quem fide portat, vt iam in via melius haberet veniendo portatur, & in die sancti Virgilij adueniens, plene sanatus est. Reuertitur saliens qui claudicabat adueniens, plene sanatus est, & qui antea infirmus fuerat, iā sanus glorificabat Deū, in omnib<sup>9</sup> quæ audierat & viderat. Sicut ille de occidēte, sic alter de **AVSTRIA**, quæ est in oriente cæcus aduenit, sed sancti meritis illuminatus videns abscessit. Simile huic cito contigit, quia in inuētionē **S. Virgilij** quæ dā **RATISPO** **NENSIS** cæca lumē recepit. Et pulchre in die Inuentionis sancti illuminatur, vt quæta meritorum luce resplendeat qui inuentus est, in hoc miraculo testificetur. Item quidam ciuis **FRISACENSIS** **RUGE** nomine ministerialē quendā ducis de **STIRE OTTONEN** scilicet de **Grazen** / quatenus nescio offenderat, à quo vindictæ causa insidijs circumuentus, quid faceret nesciebat. Cum ecce humanū desperat auxilium, velat se scuto fidei, & ad beatum Virgilium peregrinando confugiens, sua petit virtute defensari. Vnde mirū in modum redeunti obuiat aduersarius, sed ecce per sanctum compestitur, nudum pertimescit armatus, in tantum vt ita deficeret quasi continuo moriturus. Vocato igitur sacerdote, confessus pœnituit, pacis fœdus cum ciue miles pepigit, & sic **S. Virgilium** petens conualuit. Sicq; contigit quod metuens securus, & qui fortior factus est timidus, pauperi subdidit diuitem, & principi præposuit impotentem.